



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem& perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Explanatio puncti 7mi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)

Explicatio puncti 7mi.

DE temperantia in cibo ac potu vide supra animadversione quartâ, hîc paucis explico, quàm temperans, providus, circumspectus esse debeas in loquela, dum de Principibus, Magistratibus, Religiosis, & in cuiuscunque proximi præjudicium sermo est. Dum aliorum fama arroditur, vel dextrè declina discursum aliò, vel, si hoc non potes, saltem de tuo nihil addas; nam, qui ex præsentibus sagacior est, facilè advertet, te ululare cum lupis, cum quibus esse cupis, & quod in horum vel illorum gratiam loqueris de alio, idem te quoque facturum aliâ occasione de ipsis, adeoque tibi fidendum non esse. Cave etiam, ne quid propales in præjudicium proximi. *Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te fidens, quoniam non te dirumpet.* Eccl. 19. In iis, quæ defendi non possunt, imitare S. P. N. qui teste Ribad. si aliquid ob rei atrocitatem excusare omninò non posset, dicebat: *Nolite judicare ante tempus. DEUS solus intuetur cor; Domino quisque suo stat aut cadit.* Laturus autem gravissimam censuram solebat dicere: *Ego quidem hoc non fecissem.* Jam cum sigillantur Principes, Magnates, Magistratus, cave, ne quid præcipiti impetu effutias: *Diis non detrahes. Aves portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiabit sententiam.* Eccl. 10. scilicet tuam,

C S sen?

sensumque ac dicta tua. Demum, cum astuti
 sæculares sæpè contemptim loquantur de variis
 Religiosis, ad explorandas affectiones aut pas-
 siones tuas, de Confratribus, & omnium alio-
 rum Ordinum Religiosis semper honorificè lo-
 quere [ad quod, non obstantibus discipulis, am-
 plissimam præbet segetem omnium Ordinum à
 DEO institutio, doctissimorum & sanctissimo-
 rum virorum copia, qui usque ad mortem, et-
 iam ultimam sanguinis guttam, pro DEO & Ec-
 clesia insigniter laborârunt] ut sæculares inde
 colligere debeant, quòd *contentiones, emulatio-
 nes, animositates, dissensiones, detractiones, su-
 surationes, inflationes* 2. Cor. 12. nec sint inter
 nos invicem, nec inter nos & quoscunque Reli-
 giosos alios. Si hoc quidam ex ipsis sive ore,
 sive, quod pejus est, calamo non servent: quid
 ad te? ipsi viderint, quibus se peccatis caudatis
 implicent. Convitia convitiis reddere mulie-
 rum lotricum est, & insulsæ plebis, non viri,
 & maximè Religiosi; qui illud S. Bern. in ore &
 corde semper habere debet: *Non veniat anima
 mea in consilium illorum.* Si istam animi mode-
 rationem non habes ab educatione in sæculo,
 ostende te habere ab educatione in Societate,
 quam ab ipsis Novitiatûs primordiis velut notam
 teste Lancic. Societatis characteristicam tibi in-
 culcavit, ut nunquam scilicet contemptim, sed
 semper laudabiliter loquaris de Religiosis aliis,
 qui, licet diversis viis, ad eundem tamen tecum
 vi professionis suæ tendunt terminum, & per-
 fectionem sectantur Evangelicam. Crede mihi,
 ubi

ubi talis te oris ac famæ, virtutis & prudentiæ esse perspexerint sæculares, plurimum apud eos boni efficies. Multiplex id experientia docuit cum magna Societatis commendatione, pro qua si genuinum habes zelum, vincendo in bono malum, zelare debes ad exemplum D. N. J. C.

Qualitates discursuum.

3tio. **Q**ualitates discursuum in conversatione cum proximo formandorum breviter perstringo illo Apost. ad Philip. 4. *Quæcumque sunt vera* (non exaggeratoria, non adulatoria, aut nimium conniventia, non supersticiosa, & fabulis proxima) *quæcumque pudica* [non infulsi aut scurriles joci aut nugæ, nam nugæ sæculares, teste S. Bern. in ore Religiosi sunt blasphemix] *quæcumque justa* [juxta sanam ac solidam doctrinam, nec in præjudicium tertii] *quæcumque sancta* [ex Scripturis, Ascetis desumpta] *quæcumque amabilia.* Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci. Si usus, ait magnus ille Basilius, incidere aliquando, ut sermone ad hilaritatem excitemur, danda omnino opera est, ut spiritali lepore referta sit oratio nostra, & Evangelico sale condita, ut recte, qua interius sit, sapientia gratum foras odorem aspiret, dupliciterque Auditorem & animi relaxatione, & intelligentia festivitate delectet] *quæcumque bona fama, si qua virtus, si qua laus disciplina* [ex omnigenæ scientiæ ac virtutis armamentario deprompta, quæ Societatem commendant, & ad majorem DEI

